

54.

Illustri ac Vere Celebri
 Doctissimo nec non Experientissimo
 D. D. Linnæo S. P. D. Petrus Ascanius
 Med. in alm. Hafn. Cultor.

Dum per lustrum jam iter ad exteros paravi, circumstantiis sensim obicem ponentibus, fama tua, Celeberrime Domine, multoties stimulum addidit cupienti. Tu itaque jam in malam haud accipias partem, quod hisce negotia tua ut ut gravissima interpellem. Lubenter namque a te rescirem, Celeber. Domine, quæcunque in re medica per æstatem proximam agentur inter Musas upsalienses, ut inde statuam, jam iter moliens, tempore vero circumscriptus non adeo largo. Optarem quippe quamplurimum, ut felicitas mihi contingeret vestras adeo inclytas invisendi Musas, Botanices, Historiæ nat. et Mineralogiæ amore non nihil fascinatus. Quod ad hanc enim adtinet satis illustrem orbi literato sese reddidit Doctiss. Prof. Valerius.¹

Calamum ut adriperem tua Celeber. Domine fecit humanitas, studiumque peregrinis exhibitum, virtutes nemini nec mihi ignotæ, quamvis Tibi ignoto. Ceterum memet quam humillime Tibi commendo, fausta quævis Tibi adprecans. Salutat Te illustris Buchwaldus² Noster propediem scripturus.

Hafniæ die xvij martii 1752.

Utanskrift:

*Illustri Celeberrimo atque Doctissimo
 D. Carolo Linnæo
 Medico Regio et Professori
 in alma Upsaliensi.*

Linn. Soc., Vol. I: 189—190.

¹ JOHAN GOTTSCHALK WALLERIUS, född 1709, professor i kemi, metallurgi och farmaceutik vid universitetet i Upsala, död 1785.

² BALTHASAR JOHANNES DE BUCHWALD, född 1697, professor i medicin vid universitetet i Köpenhamn, död 1763.